



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

11. Virga[m] oculata[m] apud Ægyptios, esse iudicia Dei omnia videntis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

be, Iudicij celestibus discamus dicere: *Memor fui Iudiciorum tuorum a seculo, Domine, & consolatus sum*: deinde, vt etiam hinc Deum timeamus, & veneremur, cuius *oculum* nemo fugit. Siquidem, teste Lactantio, *Nemo iudicium Dei potest nec viuis effugere, nec mortuus. Habet enim potestatem & viuos precipitare de summo, & mortuos aternis afficere cruciatibus. Nec de sede potentes tantum deponit*, quando e vita eos eicit, sed in ipsa etiam vita viuos, dum gubernat, iudicat; dum iudicat, alios in throno, alios collocat infimo; quos iure infimos possis appellare. Hoc Psaltes cecinit, cum dixit: *Dominus in celo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur*. Ad hoc de celo in terram prospicit, ad hoc oculi illius, in omni loco, contemplantur bonos & malos.

Hac ipsa de causa, vt testatur Cyrillus Alexandrinus, apud Aegyptios, *Virga oculata* Dei hieroglyphicum fuit. Quod etiam Pierius Valerianus affirmat; nec Sacrae litterae tacuerunt. *Fecisti malum in oculis Domini*, ait Samuel ad Saul. Et Salomon: *Omnes viae hominis patent oculis eius: Spirituum ponderator est Dominus*. Nullis tenebris fallitur; nullis angulis excluditur; adamantina claustra peruadit visu; aeneos muros penetrat acie oculorum; ipsos spiritus grauitate carentes, ponderat, & in statera appendit. Et Ecclesiasticus: *Est homo marcidus, inquit, egens recuperatione, plus deficiens virtute & abundans paupertate: & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi*.

Argo Pastori centum oculos Poete dederunt, vt caelum exprimerent stellis oculatum; caelo autem tam oculato quis, nisi caeli Conditor, in oculos nostros mittitur? Si enim, apud Ezechielem, animal plenum oculis ante & retro, pastoris vigilantiam significat; si, quemadmodum Antiochus loquitur, oportet, vt Pastor totus sit mens, oculisque; *virgam, seu baculum gestet oculatum & vigilantem, vt ne vna quidem concreditarum sibi pecudum reiqua fiat, & indigna, qua recipiatur a Domino, per oscitantiam*; quanto magis pastor totius Vniuersi debet totus esse mens, oculisque. vt totum peruideat Vniuersum? Nec videt tantum, sed etiam omnibus omnia prouidet, sed disponit, sed regit, sed administrat aequissimè. Atque hoc est, quod *oculo*, quod *Iudicio* illius hic indigitamus.

Psal. 118.

Lactant. lib. de Ira Dei. cap. 20:

Psal. 102.

Prou. 15. 3.

XI.

Cyrrill. Alex. 9. contr. Iulian. Pier. lib. 33.

1. Reg. 15. 19

Prou. 16. 2.

Eccl. 11. 13.

XII.

Ezech. 1. 18.

& c. 10. 12.

Antioch. hom. 3.